



1002





8

ZHTHMA  
SITNE ÆQVVM,  
UT MAGISTRATUI  
POLITICO SUBJICIAN-  
TUR CLERICI?

Consentiente  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM  
SENATU,  
*IN ELECTORALI LEUCOREA*

Sub  
M. JOHANNIS *Dünnehaupten*/

Qvedlimburgo - Saxonis, Poët. Laur. Cæsar SS. Theol.

Cultoris & Alumni Electoralis  
Moderamine,

*Ad Diem XXVI. Octobris*

*A.O.R. c1313c XXCVII.*

Cum sobriè Philosophantibus

*indagabit*

HENRICUS *Rendart*/

Qvedlimburg. Saxo,  
Philos. & SS. Theol. Studios.

---

*VVITTEBERGÆ,*  
Typis MARTINI SCHULTZII.



AMITHA  
SITNE EQVUM  
UT MAGISTRATU  
POLLTICO SUBJICIAN-  
TUR CAERIS

AMPLISSIMO HILLOPOMUM  
SENATE  
IN ELECTORALIBUS  
M. JOHANNIS  
Oechlimburgo - stonice Ros. Jan. Cesar 22 Theol.  
Cultoris & Alumn. Electoralis  
M. d. c. lxxviii.  
M. d. c. lxxviii.  
M. d. c. lxxviii.  
M. d. c. lxxviii.  
Cum solis Philoſophandi

HENRIQUEZ  
Oechlimburg. 22  
Philol. & Theol. studii.  
NITTBACON.  
THEO. M. A. R. T. I. S. S. C. H. U. L. I. S.







I. N. J.

*Sandte Deus, Coeli Princeps rerumque Creator,  
Cui densa noctes luce micante micant,  
Ingenii tenebras illustra lumine veri,  
Quò fucum veri vis generosa fuget.*

PROLOGUS.



**Q**Vando ordines hominum  
fere omnes accuratiori intuemur oculo,  
negatum ire haud possumus, in quovis bono-  
rum pariter ac malorum inveniri mixturam.  
Non equidem omnes rerum status in Disserta-  
tione hâc exponere, animus est, sed aliis aliorum considera-  
tioni relictis Clericorum aliquam facturi sumus mentionem,  
quorum alii pietate ac morum probitate coruscant, alii verò  
foedisimis vitiorum maculis sese reddunt inquinatos, & sa-  
cram auri famem secuti, plurimorum indignationes sibi at-  
trahunt. In surfuris hujus Clericos seridò invehitur magnus  
magnique animi *Ambrosius* in *Epist. ad Damasum, Clericos.*  
*inquiens, illos convenit ecclesiae stipendiis sustentari, quibus*  
*Parentum & propinquorum nulli suffragantur, qui autem bo-*  
*nis Parentum & opibus sustentari possunt, si, quod pauperum*  
*est, accipiunt, sacrilegium incurrunt.* Eodem ferè invehen-  
di genere utitur *Bernhardus* excellentis doctrinae Antistes  
*Serm., 24. sup. Cantic. Timeant Clerici, timeant ministri ec-*  
*clesiae*



eclesia, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quae sufficere debeant, minimè contenti superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegè, sibi retinent, & in usus sua superbia luxuriè, victum pauperum consumere non verentur: Duplici profecto iniquitate peccant, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. Plurimi tamen reperiuntur, quorum probitas & singularis docendi dexteritas eò devenit, ut in dignitatum apice constituta summis laudum encomiis evehat, atque in Venerandorum ecclesiae Patrum scriptis hinc inde celebretur. Gregorius Nazianzenus, Sacerdotum Dignitatem aliquantò penitiùs inspiciens, in admirationem quasi rapitur, cum Orat. I. & VII. ad cives ait: *Quantum Caelum terram pretiosius est, quantum anima corpore, Spiritus carne, Divina humanis prestant; tantum Episcoporum principatus omnia civilia regna & potestates antecedit.* Cui suffragatur Ambrosius Antistes sanctissimus, lib. de Dignitate Sacerdotali cap. 2. *honor & sublimitas Episcopatus, dicens, nullis poterit comparationibus adaequari; si Regum fulgore compares, & Principum Diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.* Plura ejusmodi encomia ex Chrysostomo, aurei oris viro, lib. 3. de Sacerdotio addere possem, si pagellæ hujus angustia eadem capere valeret. Quanta quanta verò Clericorum dignitas est, absolutam tamen potestate non gaudet, ut nulli unquam Magistratui Politico subjiciatur, sed limitatam, ut certo quodam respectu superiorem agnoscat, quod in præsentis dissertatione sumus evicturi.

Tu



Tu verò  
Sancte Deus, Cæli Princeps, rerumq; Creator,  
Cui densa noctes luce micante micant,  
Ingenii tenebras illustra lumine veri,  
Quò fucum veri vis generosa fuget.

## SECTIO PRIOR

Θέσιν sistens.

§. I.



E prolixis verborum ambagibus pagellarum spatium gravioribus destinatum consumam, fusiori terminorum explicatione supersedere malo, paucis tamen observatis, quæ vel necessariò huc spectare videntur.

§. II. Relictis vocabulorum originibus *subjectionis* ambiguitatem breviter sumus evoluturi, quò in subsequens eò felicior progrediendi via aperiatur. Alienam igitur ab hoc controvertendi campo esse jubemus (a) *subjectionem internam*, cujus respectu maximè foret iniquum, si Magistratus Politicus in ordinis sacri ministros exercere imperium fuerit ausus, quippe hæc in parte & benevolam in audiendo obedientiam præstare & morem eis gerere tenetur Magistratus, quod citra omnem potestatis suæ imminutionem evenit: Quemadmodum enim Regiæ Majestati haud quicquam decedit, cum in rerum graviorum expeditione eorum, quos à secretioribus sibi constitutos habet, consilia explorat, exploratisq; obtemperat; cum tamen in aliis imperium in eos habeat sum-

A 3 mum;



num; Ita nec Magistratus dignitas arroditur, quando in iis, quæ potestatem sui excedunt, sublimiori subesse tenetur. Neq; (β) eam admittimus *subjectionem*, quæ *brutam omninò & absolutam requirit obedientiam*, Clericos obligaturam, ut ceu mancipia ad Magistratûs nutum omnia dirigant, quæ eorum libertati nimis foret infensa. Sed (γ) *subjectionem* intelligimus *legi Divinæ conformem, pietate munitam, & conscientia libertati respondentem*. Optimè Thomas 2. Secund, quæst. 104. Art. 5. animi sui sensa exponit: *Subditi in iis tantummodo superioribus suis obedire tenentur, in quibus ipsi suis Superioribus subjiciuntur, & in quibus ipsi Superiores sublimioris potestatis præcepto non adversantur.*

§. III. Præmissis hisce & dextrè intellectis, facile innotescit, cui sententiæ calculus sit adjiciendus, affirmativæ videlicet, certo tamen respectu limitatæ, ut asseramus: Clericos Magistratui Politico (secundum Divini Numinis voluntatem legumque præscriptarum rationem judicanti) debere subjectos esse. Cave autem, intelligas *subjectionem* aliquam servilem, sed talem, quæ legi Divinæ conformis & pietate munita conscientia libertatem non infringit.

§. IV. Ut igitur sententiæ nostræ veritas Adversariorum insultationibus illudat, unam atque alteram probandi rationem subjicere animus est, & (1) quidem ea sese nobis offert, quâ Magistratui Politico religionis cura maximè commendatur tuenda, unde collectu facillimum est, eandem religionis ministrorum curam esse adhibendam. Brevitatis gratiâ argumentor: *Cujuscunque potestati certo quodam respectu subjecta est religio, ei eodem planè respectu subjecti esse tenentur religionis ministri.* Atqui Magistratus Politici potestati certo quodam respectu subjecta est religio, Ergo & ejus ministri, & consequenter ipsi Clerici. Majorem veritate munitam esse, existimo, cum eadem religionis, & eam administrantium sit ratio.



ratio. De minore suffulcienda paulisper dispiciendum est, cui vires addit Presbyter venerandus *Quenstedius* noster, Theologus ob famæ excellentiam undiquaque celebratissimus Parte IV. Syst. Theol. cap. XIII, de Magistratu Polit. Sect. II, Quæst. IV. p. 438. *Quibus commendata est reipublica salus, illis etiam commendata intelliguntur ea, absque quibus respubl. salva consistere nequit: Quia finis presupponit media ad eum ducentia; Sed Magistratui commendata est reipubl. salus, Ergo etiam ipsi commendata sunt ea, absque quibus respubl. salva consistere nequit. Inter ea verò eminent religionis & sacrorum cura. Item: Ad quem pertinet religionis defensio, ad eundem quoque pertinebit religionis accurata cognitio & dijudicatio. Atqui ad Magistratum pertinet religionis defensio, fatente *Belarmino* lib. III. de Laicis cap. 28. Ergo. Et *B. Meisnerus* Phil. Sobr. Part. III. Sect. II. cap. II. quæst. I. p. m. 402, sequentibus sese explicat: Ad Magistratum omninò pertinet aliqua rerum ecclesiasticarum cura: quod asserimus contra Pontificios. Ea verò cura non est absoluta, & illimitata, sed restricta, & certis limitibus includenda; quod asserimus contra quosdam Politicos. Curanda est Ecclesia tum à Ministerio, tum à Magistratu. Ut igitur cura Ministerii tollere non debet munia Magistratus; sic cura Magistratus tollere non debet munia Ministerii. Faciat uterque status, quod suum est, sine confusione & peregrini muneris invasione. Adde tandem *Augustini*, Hæreticorum Examinatoris ingeniosissimi, verba ex Epist. 50. ad *Bonifacium* petita: Quod dicunt, qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petiisse à Regibus terra Apostolos talia, non considerant, aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud Propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes*



gentes &c. Nondum autem agebatur, quod paulò post in eodem Psalmo dicitur: *Et nunc Reges intelligite, & servite Domino &c.* Quomodo ergo Reges serviunt Domino in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo & plectendo?

§. V. (2.) Sententiæ nostræ fundamenta collocamus in eo, quòd Reipublicæ membra sunt Clerici, & quemadmodum membra capiti subjecta sunt, ita Clerici Magistratui. Membra autem capiti esse subjecta, Bellarminus ipse fatetur lib. de Monachis c. 19. §. ult. *Omne membrum subjectum esse debet capiti.* Quò verò ad ipsius rei expeditionem accedamus eò propiùs, termini erunt colligendi: *Quicumque sunt reipublica membra, illi Magistratui Politico tanquam capiti sese subicere tenentur. Atqui Clerici sunt reipubl. membra. Ergo.* Majorem veritatis claritatem jam dudum esse nactam, existimo, siquidem mandatorum Divinitus traditorum severitate & Canonici Juris auctoritate est munita. Quamvis hæc ad majorem suffulciendam multùm quin imò plurimum faciant, & sufficientem habeant splendorem, nihilominus *Thoma* præsidio magis magisque reddetur confirmata, 2. Secund. quæst. 104. Art. 1. sese explicantis: *Uti in naturalibus inferiora superiorum motioni subjiciuntur, ita in humanis ex ordine naturalis ac Divini juris tenentur inferiores suis superioribus obedire.* & Artic. 6. *Cùm per fidem Christi firmetur magis quàm tollatur justitia ordo, necessarium est, ut Christi fideles secularibus Potestatibus subjiciantur.*

§. VI. Majori suis gaudente viribus, de Minore erit dispiciendum. Si firmiori talo eam velimus superstructam, quam probandi plana aperitur via, si præcedens argumentum §. 4. traditum aliquantò penitius inr.ospicietur, quod si enim religio certo quodam respectu Reipubl. pars & medium



dium dicitur, quidni tales sint ejusdem administratores. Tantum fanè reipubl. emolumentum affert religio, ut ipse Cicero Orat. de Arusp. respons. dixerit: *Romanos non calliditate aut robore, sed pietate ac religione omnes gentes nationesque superavisse.* Et quæ deinde foret respublica, religionis cultu destituta? Malorum sentina omnium, incommodorum ferè plurimorum genitrix nutrixque, & seditionum mater. Religionem enim negligentes leges transilire non erubescunt. Et quid multa? *Bellarminus* ipse, Clericorum exemptionis defensor alioquin acerrimus, nobis suffragatur, dum Clericos cives & reipublicæ Politicæ partes appellat. Quid vero pars aliud erit nisi membrum? Verba ejus é lib. de Clericis c. 28. addere lubet sequentia: *Non sunt exempti Clerici ab obligatione legum civilium, quæ non repugnant sacris canonibus vel officio Clericali. Loquimur hic potissimum de legibus Politicis, quæ dirigunt actiones humanas in commerciis temporalibus. Nam Clerici, præterquam, quod Clerici sunt, sunt etiam cives & partes quadam reipublicæ Politicæ, igitur ut tales vivere debent civilibus legibus. Non sunt autem alia, ut nunc ponimus, nisi quæ à Politico Magistratu sunt lata, igitur illas Clerici servare debent, alioqui magna perturbatio & confusio reipublica oriretur, si Clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus & humanis.* Et quamquam latibula quærere videtur *Bellarminus*, distinctione inter obligationem directivam & coactivam adjectâ, nihilominus tamen suo se jugulat gladio, dum loco cit. cap. 30. §. ult. *Sacerdos, inquit, nullo modo filius vel ovis Principis dici potest, (& consequenter nullo modo ei subesse tenebitur.)* Si igitur corrupta hæc hypothesis veritate est munita, neque obligatione directivâ neque coactivâ adigentur Clerici, ut Magistratui Politico subjiciantur.

B

Plu.



§. VII. Plurimas quidem rationes adducere possemus, nisi vela essent contrahenda, unica tamen adhuc, quæ adponatur, digna est, quando videlicet (3) sententiæ nostræ veritas ex nefando Clericorum non subjectionis, sive à potestate seculari exemptionis abortu elucet, nam præter omnes lasciviæ libidinumque appetitus & scortationes haud quicquam gignit, exempla ejusmodi scriptu pariter ac dictu indigna argumento subjiciemus, ita informato: *Q. reipubl. detrimentum affert maximum, & nefandos flagitiorum abortus nempe scortationes, homicidia gignit, illud ceu pestis est fugiendum. Atqui Clericorum non subiectio sive à potestate seculari exemptio maximum reipubl. detrimentum affert, & nefandos flagitiorum abortus nempe scortationes, homicidia gignit. Ergo. Majoris veritas Sole vel meridiano videtur clarior, quare ejusdem probatione supersedemus. Minorem quò diutiùs speculor, eò plura sese offerunt monstra, rempubl. in detrimentum præcipitantia maximum, quæ, si omnia in præsentibus nobis enumeranda forent, temporis & chartæ spatio nos redderent destitutos, sufficiet quædam adduxisse.*

§. IIX. In reipubl. detrimentis ab impiâ ejusmodi exemptione promanantibus parum ero occupatus, eo contentus, quod B. Meisnero Phil. Sobr. parte III. Sect. II. Cap. III. qv. 1. p. m. 445. annotare placuit: *Quare tali exemptione nihil potest esse nocentius. Si enim Papa præcinat classicum, tot quæque respubl. expertura esset exercitus contra se, quot alit cœnobîa monachorum, quot conventus Sacerdotum, quot capitula Canonicorum. Præterea omnis ista exemptio quid aliud est, quam velamen malitiæ, quò sua scelera obtegere conantur Clerici contra severitatem legum?* In proximè sequentibus adjecit Petri Molinei Discursum, in lib. de monarchia Pontificis exhibitum cap. 18. sequentibus verbis: *Unum Gallie regnum ha*



het ultra trecenta hominum millia, quæ sub obtentu Clericatus & monachatus functionisq; ecclesiasticæ jugum Regis excusserunt, aliumq; à Rege summum Principem agnoscunt, non modo in Spiritualibus sed & in temporalibus. Egregia, si Diis placeat, reipubl. membra, quæ dum prodesse debebant, præter damnum & detrimentum in eam planè nihil evomunt! Aliud sanè innuit, *Plutarcho* teste, *Solon*, septem Græciæ Sapientum Sapientissimus, dum interrogatus: *Quomodo civitas in optimo statu degeret?* Respondit: *Si cives quidem Magistratui obediant, Magistratus autem legibus.*

§. IX. Ante, quàm sectionem hanc absolvam, posterius Minoris membrum est confirmandum, quod sc. exemptio illa plurimos gignat abortus, nempe scortationes, homicidia &c. *Wolfius* in *Lect. Memorab. Tom. II. centur. 16.* refert de *Jacobo Clemente*, Ordinis Prædicatorum monacho, annos 23. nato, qui anno 1589. Angeli cujusdam monitu, (fueritne ater, an albus, ignoratur?) in lecto sibi apparentis *Henricum III.* Galliæ regem cultro interfecit miserrimè, quod tamen læsæ Majestatis crimen non sapere, existimat *Emanuel Sa.* Aphorism. confess. in voce *Clericus.*

§. X. Quod verò scortationes parturiat exemptio illa, abunde exponit Cœnobiorum visitatio, sub *Henrico VIII.* in Anglia instituta, & publicæ luci commendata à *Balco Præfat.* super vitas Pontificum, non ægrè feret benevolus lector, si verba ejus adjungam sequentia: *In quibus*, (videl. cœnobiis) *tantò numero reperti sunt scortatores, cinaedi, ganeones puerarii, Sodomitæ, Ganymedes, votarii tamen & cælibes omnes, ut in unoquoque eorum credideris, novam adesse Gomorrhæam, Liber eorum vocatur Breviarium compertorum in monasteriis, conventibus, collegiis &c. Ex quo libro unum & alterum ad gustum insipidum pro exemplo locum monstrabo. --- In Mo-*



*nafterio Bellensi hi sunt Sodomitæ in ipsa visitatione reperti: Jo-*  
*annes Abbas, Ricardus Salchurst. Thomas Guthbert, Guilhel-*  
*helmus Marthe &c. Incontinentes, Thomas Grambroke cum*  
*eisdem ac pluribus: In Ecclesia Christi Cantauria inter Mona-*  
*chos etiam Benedictinos hi quoque reperiabantur Sodomitæ:*  
*Ricardus Godmersham, Guilhelmus Lichtfeldt, Incontinen-*  
*tes: Christophorus Jamys cum tribus conjugatis, & Nicolaus*  
*Clemens cum una soluta. In Bathoniensi Monasterio inter a-*  
*lios plures Ricardus Lyncombe VII. meretrices habebat, qua-*  
*tuor solutas & tres conjugatas, eratq; Sodomitæ. Guilhelmus*  
*Benushon XI. scorta quoque habebat, præter Sodomismi va-*  
*rium genus. In Monkenfarlegensi Cœnobio Ludovicus Prior*  
*IX. habuit meretrices, & conventus adhuc plures. Ricardus*  
*PRIOR de Mayden Bradley V. meretrices & VI. spurios ha-*  
*buit. Guilhelmus Abbas Bristollensis IV. meretrices habuit,*  
*tres solutas & unam conjugatam. Thomas Abbas Abindonen-*  
*sis præter Sororem naturalem, ex qua duas procreavit soboles,*  
*tres alias meretrices habuit, & hic Pater multorum Sodo-*  
*mitarum fuit. In Cœnobio de Schulbrede Cicestriensis Diœcesis*  
*Georgius Walden Prior VII. meretrices habuit. Johannes*  
*Standney VII. Nicolaus Duke V. Henr. Selvode duas, præ-*  
*ter reliquos & reliquas. Johannes Blanke Prior de Permond-*  
*sey XX. meretrices habuit &c. Egregios exemptionis illius ex-*  
*secrandæ fructus! Quod si Potestati seculari fuissent sub-*  
*jecti, atque in unum & alterum ideo fuisset animadversum,*  
*non dubito, quin reliqui, si non virtutis amore, formidine*  
*tamen pœnæ à nefandis ejusmodi flagitiis abstinuissent.*  
*Optimè Tibullus Eleg. 1. lib. 2. eos invehitur:*

*Vos quoq; abesse procul jubeo, discedite ab aris,*  
*Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.*

*Casto*



*Casti placent Superis, pura cum mente venite,  
Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Et Bernhardus in epist. inquit: *Utinam qui continere non valent, cœlibatui cederent, ne urerentur, esset procul dubio melius nubere, quam uri, & salvari in humili gradu, quam in sublimitate Cleri deterius vivere.*

## SECTIO POSTERIOR

*ART. I. exhibens.*

### §. I.

**P**Agellarum spatio fere completo, quod reliquum esse videtur, in objectionum quarundam refutatione consumemus. (1) Adversarii insurgunt: *Q. est potestas supereminens supra Reges & Principes, ille non debet subiectus esse Magistratui Politico. Atqui Papa Romanus &c. Ergo. Et consequenter ipsa Clericorum turba privilegio eo gaudebit. Majorem in confesso esse, arbitrantur. Minori variis rationibus lucem accendere conantur, quibus modo adducendis charta non sufficit, nos in præsentem unicam Bonifacii Rom. Pontificis adjungemus, ita informatam: *Reges inunguntur, & coronam accipiunt ab Episcopis, Imperator à Papa, at unctio & coronatio est potestatis collatio. Ergo Reges & Imperatores potestatem & regna accipiunt à Papa, tanquam à Superiore.**

§. II. Resp. (a) Eminentia Papæ magnæ quidem valoris est, non tamen absoluta, unde elucescit, Pontificis Rom. eminentiam ad Ecclesiasticam esse restrictam, ad forum verò Politicum vix quicquam facere. (β) Rejectâ probatio-

B 3

ne



ne corrueat Minor, quæ facili labore destruitur, cum majoris connexio arenæ superstructa sit atq; vacillet; negatur enim, inaugurationem ritualem Pontificis esse collationem potestatis, (verba sunt Dav. Parei, in Quæst. controversis Theologicis de Jure Regum & Princip. contra Papam.) nam Paulus disertè testatur, omnem potestatem esse a Deo. -- Justinianus prædicat, potestatem sibi traditam esse à Divinâ Majestate. Ritus igitur inauguralis, qui humanâ lege vel consuetudine partim ab Episcopis, partim à Politicis administratur, non est potestatis collatio, sed potestatis à Deo collata approbatio & promulgatio: Alioqui potius à Mareschallo & Cancellario regni acciperet potestatem Rex, quia ab illo gladium, ab illo sceptrum & sigillum antiquitus accepit. Aut si inauguratio erit potestatis collatio, sequetur, Ostiensem Episcopum eminentiâ Rom. Pontificem transcendere, quippe penes eum antiquitus jus inaugurandi Papam fuit, teste Augustino, quod vix ac ne vix quidem asseretur.

§. III. (2) Quorumc. dignitas Potestatem secularem longè excedit, illi non sunt subiecti eidem. Sed Clericorum dignitas Potestatem secularem longè excedit. Ergo. Major inde radiare videtur, quia major atque sublimior dignitas sui possessorem in honorum ac potestatis apice constituit majori ac sublimiori. Minorem veritate munitam esse censet Bellarminus lib. 1. cap. 28. de Cleric. In ejusdem probatione occupantur Bonifacius & Innocentius, Pontifices, uti videre licet apud Pareum l. cit. quæst. 3. p. m. 53. Ubi sunt potestates ordinatæ, ibi est una sub alia, indignior est sub digniore. At omnes potestates sunt à Deo ordinatæ, Ergo una est sub alia, indignior sub digniore, & consequ. civilis sub ecclesiastica. Dignitatis Ecclesiasticæ encomia vide in Dissertationis hujus Prologo, quæ pariter huc quadrare videntur.

§. IV. Re-



§. IV. Respondemus, diversum planè esse respectum, aliò Ministerii & Clericorum dignitas Magistratus Politici dignitatem superat, aliò autem subordinatur ei. Vel utrâque largimur, quod Ecclesiastica potestas civilem sublimitate quâdam excedat, si verbi Divinioris prædicationem sacrorumque Sacramentorum legitimam respexeris administrationem, hâc enim ratione Divinæ Majestatis œconomiam expedit, civili quacunque superiorem: Sed in civilium gubernatione ac directione subordinatur potestas Ecclesiastica Politicæ. *Ut enim Magistratus Ministerio parere debet in iis, quæ spectant fidem & pietatem communem, ex verbo Dei præscriptam; Sic Ministri rursus parere debent Magistratui in illis, quæ jus civitatis & externam subjectionem attinent, verba sunt B. Meisneri loco citato. Pluribus argumentum removet Pareus loco & pagina citatis.*

§. V. (3) Ad Concilia provocat Bellarminus, quæ Clericos potestati seculari subtrahere videntur, *tametsi, inquit Pareus l. c. ex Pontificiorum opinione, leges civiles, quæ canonibus sacris vel officio Clericali non repugnant, teneantur servare; non tamen possunt à Judice politico puniri; vel ullo modo trahi ad potestatis secularis tribunal. Sed suo se gladio jugulare videntur Pontificii, propositionem hanc verissimam negando: Q. leges civiles servare tenetur, ille eas transgrediendo pœnam necessariò luere debet, atque ab alio leges administrante judicari. Si excipiant: Clericos legestransgrediendo à Clericis vel ecclesiâ judicandos esse. Resp. Clericorum vel ecclesiæ judicio commendatæ sunt leges ecclesiasticæ, non verò Politicæ, quas autem leges Clerici non administrant, secundum eas nec judicare valebunt. Si dixerint, Clericos, etiamsi leges excedant, vel ab iis deficiant, nihilominus tamen à suo Collegio esse judicandos.*  
Resp.



Resp. Eodem jure dixerim, quod, si Sartor aliquis in leges civiles quicquam admiserit, non a Magistratu Politico, sed à Sartorum Collegio sive conventu sit puniendus, quod sapit absurditatem. Si ad Concilia provocaveris, Doctorum omnium consensus est, ea Scripturis Diviniioribus esse subordinata, ac proinde ne in minimo quidem ipsis debere contrariari. Non tamen omninò est abscondita Pontificiorum calliditas, quod plurima loca in se verissima falsissimis interpretationibus depravet, id quod in Conciliis astutè observatum.

§. VI. (4) Denique ad privilegia ab Imperatoribus sibi concessa provocat Clericorum turba, ut legum civilium obligatione se exuat: At enim verò *in civilibus privilegiis* (verba sunt *Parei l. c.*) *non eximit Clerum à subjectione & obligatione, sed tantum ab ordinariis operibus. Neque enim accipiens privilegium cessat subesse ei, à quo accepit: Cessatne Academia nostra Potentissimis Saxonum Electoribus subesse, quod sua ab illis habet privilegia? Minimè Gentium! Quid multa? Justinianus ipse in criminalibus publicis imperii judiciis subjectos vult Clericos, ut patet ex Novell. 5. 16. 37. Plura videantur apud Meisnerum, Pareum locis citatis, aliosque.*

Tibi nunc

*Sancte Deus, Cæli Princeps rerumq, Creator  
Sit Sanctus quovis tempore laudis honor!*





85852


ULB Halle 3  
005 363 56X




VD 77











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

8  
HITHMA  
E AEQVUM,  
GISTRATUI  
CO SUBJICIAN-  
R CLERICI?

Consentiente  
SIMO PHILOSOPHORUM  
SENATU,  
TORALI LEUCOREA

Sub  
NNIS *Dünnehaupten*/  
saxonis, Poët. Laur. Cæsar SS. Theol.  
is & Alumni Electoralis  
Moderamine,

*Diem XXVI. Octobris*  
*.O.R. clc lcc XXCVII.*  
sobriè Philosophantibus  
*indagabit*

RICUS *Rendart*/  
Quedlimburg. Saxo,  
lof. & SS. Theol. Studiol.

VVITTEBERGÆ,  
MARTINI SCHULTZII.

8

